Isidorus Sabinensis Miseratione divina Sacrosancte Romane Ecclesie episcopus Cardinalis
Universis et singulis xpifidelibus presentes litteras inspecturis visuris pariter et audituris Salutem in domino sempiternam. Splendor
paterne glorie qui sua mundum ineffabili illuminat claritate pia vota fidelium de ipsius clementissima maiestate sperantium
tunc precipue benigno favore prosequitur cum devota ipsorum humilitas sanctorum precibus et meritis adiuvatur. Cupientes
igitur ut Capella Sancti Maurmartini in Deisen Curiensis diocesis congruis frequentur honoribus et ut xpifideles eo libentius
devotionis causa confluant ad eandem quo ibidem dono celestis gratie uberius se noverint fore refectos et a xpifidelibus iugiter
veneretur. De omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi Omnibus et
singulis vere penitentibus contritis et confessis qui dictam Capellam in Nativitatis Pasche Penthecostes domini nostri
Jhesu xpi Sancti Galli et ipsius Capelle dedicationis festivitatibus et celebritate huiusmodi visitaverint annuatim et
ad reparationem ac conservationem edificii Calicum librorum aliorumque ornamentorum pro divino cultu inibi necessariorum
manus quotienscunque porrexerint adiutrices. Nos Cardinalis prefatus pro qualibet die ipsarum festivitatum et celebritate
huiusmodi Centum dies Indulgentiarum de iniunctis eis penitentiis misericorditer in domino relaxamus presentibus vero perpetuis
futuris temporibus duraturis In quorum omnium fidem et testimonium premissorum presentes litteras nostras exinde fieri nostrique Cardinalatus
Sigilli iussimus et fecimus appensione communiri. Datum Rome in domibus nostre solite residentie Sub anno a Nativi-
tate domini Millesimoquadringentesimosexagesimoprimo die vero prima mensis Octobris Pontificatus sanctissimi
in xpo patris et domini nostri domini Pii divina providentia Pape secundi anno Quarto